amorem ante multos annos perspectum obtestor,
et respectu meae imbecillitatis et angustiarum,
ex quibus eluctari non possum, ea facias in hac re et per-
ficias quaecunque pro amico constante fidelis ami-
cus contestari potest, juxta id quod olim non semel re-
dictum est: Amicum certum in re incerta cerni.
Vale. Dat. 19 Julij 1559.

Hieronymo Commelin Emdae 179.

Pax Dei per Jesum Christum.

Nuper cum huc ad vos venisset Johannes van Swolle
ad ductum fuerat negotium et Antonium vobis
reduceret, ex tuo jussu paravimus ea, quibus puer erant
opus ad profectionem. Johannem deinde subsecutus Nico-
laus Gardinig vetuit ne Johanni puerum jungeremus,
se si opus esset in reditu assumpturum affirmans eum.
Cum autem inter alios sermones astantibus pueris ve-
stris dixisset Nicolaus mirari se quur a studio Anto-
nium abduceretis, atque ego causas a me ipso vobis scriptas
ei declarassem (nempe morbum et oculorum imbecil-
litatem) respondere coepit Antonius morbo se prorsus
beneficio Dei liberatum esse, oculorum vitium
non obstare sibi ad discendum, nisi siquando a prandio
multa accurate scribat, tunc enim defluunt humo-
res in frontem et in oculos, unde videndi imbecil-
litas nasci solet. Post illud colloquium digresso Ni-
colao paucis diebus Antonius honestam orationem
meditatus ad me venit, obnixe contendens, ut sibi
in hac re apud reverendum Patrem suum adjutor essem,
ut liceret: vel totam aetatem, vel certe adhuc annos
aliquot in studio literarum collocare. Quid facerem?
scripseram in meis ad te literis me probare tuum consi-
lium in puero revocando, et prope modum ipse vobis au-
ctor fueram ejus revocandi, nec tamen excludere tam ju-
stam pueri petitionem ausus sum (praesertim cum pauci sint
pueri, qui sic suâ voluntate ad discendum inclinent)

[= Mscr. A. 7 = Nr. 40]

promisi me de ea re acturum cum amico nostro Nicolao Gardinio simul atque huc redisset, sed placuit eidem consilii nostri mutatio, recepitque rem omnem in sese, quam nos sane illi tanto alacrius commisimus, et quod sciremus ipsum multum apud te valere et quod de tua erga nos benevolentia nihil dubitaremus. Puer ipse interea confirmatus a Domino, tam sanus per omnia quam piscis, et ad studium tam fervens, quam quisquam in ea aetate esse possit. Desideramus tamen tuas literas, tum ut tua authoritas nobis animum addat, tum etiam, ut me tuo salutari consilio adjuves in iis, quae scripseram de mea migratione. Nam postquam satis praecipiti deliberatione (sicut in aerumnis fieri solet) meam fidem Bremensibus astrinxi, neque me propter domestica impedimenta, et propter bonorum filios de me pendentes, expedire possum nisi cum summa difficultate ac dispendio maximo. Vix credas mi frater, quantis in angustiis meum miserum cor ultro citroque jactetur. Intempestiviter sane id accidit mihi in acerbissimo luctu charissimae conjugis, nisi mea ipse culpa accidisset. Dissimulate nimirum Domino, ut (quod proverbio dicitur) clavus clavo pelleretur. Sed jam nimis prolixe praesertim apud virum cordatum imprimis, et seriis de Ecclesia curis distentum. Pueri omnes valent bellissime, scribuntque nunc sua themata, post paucos dies faciam, ut dent literas ad cognatum suum Generosissimum. Vale cum pientissima simul et suavissima conjuge. Cum fratribus et sororibus quicunque fidem colunt et pietatem. Bremae 19 Julii 1559

Johannes Molanus.